



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Litteræ Ermengaudi Comitis Vrgellensis, quibus abdicat consuetudinem
capiendi bona Episcoporum defunctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

LITTERÆ ERMENGAUDI

Comitis Vrgellensis, quibus abdicat consuetudinem, quam ab antecessoribus suis habebat, capiendi bona mobilia & immobilia Episcoporum Vrgellensium defunctorum.

IN nomine omnipotentis Patris & incarnati Ver- Anno 1162.
 bi filij ejus & ab utroque procedentis Spiritus sancti. Pateat cunctis præsentibus atque futuris qualiter ego Ermengaudus Dei dispositione Comes Vrgelli pro remedio animæ meæ omniumque parentum meorum dimitto atque evacuo & sine aliquo retentu penitus persolvo Domino Deo & almæ genitrici ejus Mariæ sedis Vrgelli horribilem illam & malè consuetam rapinam quam post decessum Episcoporum sedis Vrgelli injustè exercere consueverant prædecessores mei in omni honore episcopali; tali scilicet modo, quòd ego nec aliquis Comes post me non habeamus licentiam nec potestatem ex hac hora in antea diripiendi sive invadendi bona Vrgellensium Episcoporum mobilia sive immobilia, quandocunque vel ubicunque prædictæ sedis Pontifices moriantur; sed post obitum eorum salva & libera atque quieta remaneant omnia sua præfatæ Ecclesiæ almæ genitricis Dei Mariæ sedis Vrgelli sine aliqua inquietatione Vrgellensium Comitum vel hominum suorum. Veruntamen quia post decessum Episcoporum episcopalia castra sive villa prædictæ sedis pro securitate & defensione honoris beatæ Mariæ usque ad diem futuræ electionis in manu Vrgellensium Comitum permanere consueverunt, nihil ibi Comes Vrgellensis vel homines sui accipiant nisi ea tantùm quæ ad custodienda prædicta castra bona fide sine

P

malo ingenio secundum providentiam Canonicorum prædictæ sedis sufficienti modo necessaria fuerint. Prædicta autem castra quæ in manu Comitis post obitum Episcoporum custodienda permanere solita sunt, hæc sunt, castrum Savaugiæ, & castrum de Giffona, & castrum de Torre fracta, & villa sedis, & castrum de Montferrer. Ex ipsa verò die qua præfata castra in manu Comitis esse incipient, de redditibus & censibus & explectis quæ de ipsis castris exierint, prænominata castra custodiantur. Dono etiam ad operam beatæ Mariæ centum morabetinos per unumquemque annum de ipsa mea paria de Hispania, quandiu ipsa paria perdurabit. Si interim de ipsis Clericis prædictæ sedis quisquam fortè obierit, res ipsius defuncti securæ semper permaneant sine direptione vel diminutione, quam ei Comes vel homines sui aliquo modo facere non præsumant. Insuper & ob remissionem peccatorum meorum meorumque parentum omnia quæ juris beatæ Mariæ esse noscuntur, eidem matri meæ Vrgellensi Ecclesiæ in perpetuum habenda concedo, laudo, atque confirmo. Si quis contra hanc chartam ad dirumpendum non valeat vindicare quod requirit, sed in quadruplum Ecclesiæ beatæ Mariæ componat, & postea scriptura præfens firma & stabilis permaneat omni tempore. Acta charta secundo Idus Ianuarij anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexagesimo secundo.

